Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

milibus passuum in latitudine DCCCLXXV milibus stadiorum. Scinditur amni interfluo, tota margaritis repleta est et gemmis. Pars eius bestiis et elefantis repleta est, partem vero homines tenent. In hac insula dicunt in uno anno duas esse estates et duas hiemes, et bis floribus vernare locum. Tylis insula est Indie virens foliis omni tempore. Item insule que ab Hellesponto usque ad Gades in mari magno constitute. Cyprus insula a civitate Cypro que in ea est nomen accepit, ipsa est et Pafon Veneri consecrata, in Carpathio mari vicina austro, famosa quondam divitiis et maxime eris. Ibi enim prima huius metalli inventio et utilitas fuit. Creta insula Grecie pars est, iungens per obonense. Hec primum a temperie celi Macaronnesos appellata est. Deinde Creta dicta a Crete quodam indigena, quem aiunt unum curetum fuisse, a quibus Iuppiter ibi absonditus est et nutritus. Est autem insula Grecie, et ab ortu in occasum longissimo tractu porrecta, a septentrione Grecie eius litoribus, ab austro Egyptiis undis perfusa. Fuit autem quondam centum urbibus nobilitata, unde et Hecatompolis dicta est. Prima remigio et sagittis claruit, prima litteris iura firmavit, equestres turmas prima docuit, studium musicum ab Ideis dactulis ceptum. Capris copiosa, cervis eget; lupos et vulpes aliaque ferarum natura nusquam gignit. Serpens ibi nulla, noctua nulla, et si invehatur statim emoritur. Larga est autem vitibus et arboribus. Diptamnum herba in ea nascitur, et alimos, quod admorsa diurnam famem prohibet; falangos autem venenatos gignit et lapidem quem Ideus dactulus dicunt. Abidos insula in Europa super Ellespontum posita, angusto et periculoso mari separata, et Abidos Grece dicta, quasi sit initium Ellesponti maris, in quo Xerxes pontem ex navibus fecit et in Greciam transiit. Coos insula adiacens provincie Attice, in qua Ypocrates medicus natus est, que ut Varro testis est, arte lanificii prima ornamento feminarum inclaruit. Ciclades insule antiquitus Grecie fuerunt, quas inde Cicladas estimant dictas, quod licet spatiis longioribus a Delo porrecte in orbe tamen circa Delum sint site.

cre

Nam orbem Greci kiclon vocant; quidam autem non ideo quod in orbe digeste sint, sed propter scopulos quod circa eandem sint dictas putant Ciclades. Hee in Ellesponto inter Egeum et Maleum mare constitute circumdantur pelago Mirteo. Sunt autem numero omnes LIII, tendentes a septentrione in meridiem milia D, ab oriente in occasum milia CC. Metropolis earum Rodos. Delos insula in medio Cicladum sita et dicta Delos fertur quod post diluvium quod Ogigi temporibus notatur, cum orbem multis mensibus continua nox inumbrasset, ante omnes terras radiis solis illuminata est, sortitaque ex eo nomen quod prima manifestata fuisset invisibus. Nam delon Greci manifestum dicunt. Ipsa est et Ortigia eo quod primum ibi vise sint coturnices aves quas Greci ortigas vocant. In hac enim insula Latona enixa est Apollinem et Dianam. Delos autem et civitas dicta et insula. Rodos Cicladum prima ab oriente in qua rose capitulum dicitur esse inventum, dum ibi civitas conderetur, ex qua et urbs et insula Rodos est appellata. In hac urbe solis colossus fuit aereus LXX cubitorum altitudine, fuerunt et alii numero C in eadem insula colossi minores. Tenedos una ex Cicladibus ad septentrionem sita, in qua olim civitas Athene condita est, unde nomen urbis illius et post insule fuit. Nam Tenes iste infamatus quod cum noverca sua concubuisset, fugiens in hanc insulam vacuam cultoribus obtinuit, unde et Tenedos dicta est. Sic enim Tenes ipsum eius ex nomine Tenedos nominatur. Carpatos una ex Cicladibus a meridie posita contra Egyptum, a qua et Carpatium mare appellatum est, vocata propter celerem fructuum maturitatem. Est enim inter Egyptum et Rodum. Ex hac insula dicunt et carpasie naves magne et spaciose. Citrea insula una ex Cicladibus a parte occidua sita, cui porfiris antea nomen fuit. Citrea autem vocata eo quod ibi venus sit orta. Icaria insula una de Cicladibus que Icario mari nomen dedit. Hec inter Samum